

## XXXI.

Quod *subjectum* attinet, illud est Ecclesia, quam describit ab *adjuncto*, quod sit *Domus Dei*. Hinc emergit discrimen inter *Ecclesiam veram & falsam*. *Vera est, quæ est Domus Dei: falsa, quæ non est Domus Dei, sed Diaboli, quatenus scil. falsa est, & complectitur homines hæreticos, qualis est hodierna Romano-catholica, quatenus est Papistica, h. e. corruptelis & idolomanis Pontificiis à diabolo profectis, 1. Tim. 4, v. 1. adhæret, relictâ fidei veritate, in S. Literis comprehensâ.*

## XXXII.

Atq; hinc è contrariò ita potest definiri *Ecclesia vera*, quod sit ejusmodi cœtus, qui adhæret Verbo DEI puro & incorrupto, & ab eo ne latum pilum discedit.

## XXXIII.

Hæc enim est infallibilis *nota Ecclesie vere*, Verbo Dei puro & incorrupto adhærere, unde dependet gratiosa Dei præsentia, cujus ratione Ecclesia illa dicitur *Domus Dei*, quam Deus inhabitat, & donis suis adimplet, vigore datæ promissionis Exod. 20, v. 24. *In omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad Te, & benedicam Tibi.* Item, Matth. 18, v. 20. & Joh. 14, v. 23.

## XXXIV.

Atq; ad hanc Ecclesiam, quæ est *Domus Dei*, hoc *predicatum* propriè spectat, quod sic  $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\kappa\alpha\iota\ \acute{\epsilon}\delta\epsilon\alpha\gamma\omega\mu\alpha$   $\tau\eta\varsigma\ \acute{\alpha}\lambda\eta\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$ , columna & firmamentum veritatis, non ad Ecclesiam  $\acute{\omicron}\mu\omega\nu\acute{\upsilon}\mu\omega\varsigma$  dictam, sub qua etiam falsa continetur, qualis est Romano-Papistica.

## XXXV.

Ac proinde Ecclesia, quæ *subjectum* constituit, *conditionaliter vel reduplicativè* sumenda est, si, vel quate-